



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XIX. Quis possit absolvere religiosos à culpis reseruatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

factam. Quapropter sine scrupulo possunt subditi non timere illam, quantumcumque illis dicatur, prohibitionem Pontificis non esse acceptam. Ratio autem de incommodis religionis vel probat prohibitionem prohibitionem esse contra commune bonum religionum, quod dicere plusquam temerarium esset: vel certe nihil probat, quia vel nulla sunt talia incommoda, quibus aliis mediis occurrere non possit, præsertim pro brevi tempore: vel si aliquod interdum sequatur, est rarum, & particulare, quod lex humana non considerat.

XVII.
Dubium an possint prelati religio-
servare cen-
suras esse non
possint cen-
suras.

Resolutio
vera.

Potest autem dubitari, esto non possint prelati immediatè, & directè reservare sibi alias culpas, possint nihilominus reservare censuras. Et ratio dubitandi est, quia à diversis non fit illatio; censura autem, & peccatum, & utriusque reservatio diversa sunt. In contrarium autem est, quia iuxta communem usum Ecclesiæ quoties peccatum habet excommunicationem ipso facto annexam, si excommunicatione reservata sit, etiam peccatum censetur reservatum. Item, quia alias possint prelati religionum per hanc viam eludere hoc præceptum, adiungendo censuras, & illas sibi reservando. Respòdeo, debere prelatos omnino cauere, ne hac occasione multiplicent censuras: nam, ut in iure dicitur transgressio legis merito iudicatur qui verba legis tenens, contra legis nititur voluntatem. Nihilominus existimo, prelatos religionum non esse priuatos per hanc legem suo iure seruandi censuras: quia reuera est per se distincta, & mens Pontificis non fuit de illa tractare. Declaramusque in hunc modum, quia vel censura fertur à lege, vel ab homine à lege, reservari poterit ab auctore legis, quia in religionibus auctor talis legis non est nisi Capitulum generale, vel provinciale, quæ potestatem habent reservandi casus, etiam ex ordinatione Pontificis. Si autem censura est ab homine, eo ipso absolutio eius pertinet ad ferendam illam, & ita dici potest illi reservata. Et quamvis de illa, quæ fertur per sententiã generalem, sint opiniones, tamen non dubito quin ad tollendas illas possit Superior etiam nunc sibi talem absolutionem reservare, cum illi non sit prohibitum, ut dixi, & per accidens sit quod ratione censura non possit à tali peccato absolui, nam hoc etiam sequitur ex censura per sententiã particularem.

C A P V T XIX.

Quis possit absolvere religiosos à culpis reservatis.

I.
Prima Af-
ferio, negat
hanc pote-
statem ex-
tra religionem.

Quid de no-
titiis.

Supposita iam reservatione superiori cap. explicata, facile est definire, quis possit religiosos absol-
uere à peccatis sic reservatis. Primò enim dicendū est, per se loquendo, & iure ordinario à nemine posse absolui extra suam religionem, præterquam à Summo Pontifice. Hoc patet, quia dictum est in c. 16. à communibus etiam peccatis non posse extra religionem absolui: ergo à fortiori idem dicendum est de peccatis specialiter reservatis. Vnde fit, ampliandum esse etiam ad eos, qui habent iurisdictionem delegatam à Papa per generalia privilegia absol-
vendi à reservatis: nam in illo c. ostensum est, hæc privilegia, siue sint concessa ex parte penitentium, siue ex parte confessorum, non extendi ad personas religiosorum: ergo nec facultas in eis concessa extenditur ad peccata reservata in religionibus. An vero hæc ampliatio extendenda sit ad novitios, iuxta superius dicta c. 17. à n. 11. definiendum est. Novitij enim gaudere possunt dictis privilegiis, & id eo absolui poterunt per eorum facultates: per communem autem iurisdictionem Episcoporum absolui non possunt à reservatis, quia neque ab aliis possunt, ut diximus eodem c. 17. n. 14.

Sed quid de religiosis iter agentibus? Quidam aiunt, non posse absolui ab externis confessoribus ab huiusmodi peccatis. Ratio est, quia per privilegium Sixti IV. Innocentij VIII. & similia, solum eis conceditur, ut possint confiteri sacerdotibus regularibus, vel secularibus, dum iter agunt: in hac autem facultate generali non comprehenduntur casus reservati, ut in iure declaratum est. Neque etiam illa facultas censetur concessa à prelati, nisi expressè, & in specie declaratur, ob eandem causam quod casus specialis sub generali concessione non comprehenditur. Et hoc specialiter confirmat, quia nonnulli Pontifices prohibuerunt Mendicantibus prelati, ne casus reservatos extra suos ordines committant, ut ex lib. Monumenta ordinum referunt Corduba in c. 7. Regula S. Francisci, q. 3. & Emmanuel Roder. tom. 1. q. 62. a. 5. Respòdeo nihilominus, nullam posse in hac re generalem regulam assignari, sed consulendam esse regulam, consuetudinem, vel peculiarem providentiam prelatorum vniuscuiusque religionis. Moraliter enim loquendo, necessarium est, ut aliquo modo in hac parte subditi religiosis provideatur: nam si sint sacerdotes, quoties possunt indigere confessione, quia debent frequenter celebrare, & per plures dies abstinere, & scandalosum esse potest, & eis nocivum, & nimis molestum. Si autem sacerdotes non sunt, etiam expedit ut sæpius communicent; esseque præter debitam religionis providentiam eos cogere, ut à communione abstineant vsque ad reditum in monasterium: quamvis enim hæc possit esse iusta pena religiosi sic peccantis, esset tamen nimis rigorosa, & non admodum medicinalis, nisi ubi censura interuenit: præterquam quod periculosum esset cogere religiosum, qui fortasse ex fragilitate moraliter peccavit, ut per multos dies sine sacramentali absolutione permaneat.

Ob hanc ergo causam Innocentius VIII. ut dicti auctores referunt ex Compendio Cisterciensis, ver-
bo Confessor. §. 15. concessit Prædicatoribus monachis, ut extra monasterium ordinem existentibus de licentia Superiorum cuiusque regulari, seu seculari sacerdoti confiteri possint, & à quocunque casu, quomodocunque reservato absolui, sicut à confessoris ordinis. Quæ verba mihi ambigua sunt: nam illa particula de licentia Superiorum, potest cum antecedentibus, & consequentibus coniungi, quia nulla virgula interponitur; reddet autem sensum valde diversum, si vno, vel alio modo construat: nam constituta præcedentibus, sensus est, religiosum, qui ex licentia Superiorum extra monasterium existit, eo ipso posse absolui, & ita ut illa verba addita sint ad excludendum fugitivos ab huiusmodi gratia, & ad significandum, licentiam sic confitendi, vel ab ipso Pontifice eo ipso dari, vel intelligi inclusam in ipsa licentia peregrinandi. Si autem prædicta verba tantum subsequenter coniungantur, sensus est, eos, qui extra monasterium existunt, posse de licentia suorum Superiorum absolui. Sed hic posterior sensus minus apertus videtur, tum quia hoc per se notum est, tum etiam, quia idem dici posset de exil-
libus in monasterio Prior ergo sensus videtur proprius, & intentus. An vero illa concessio sit vsu recepta in aliis religionibus, mihi non constat, neque existimo fuisse necessarium, tum quia non est omnibus directè facta, & aliæ non coguntur communicationem eius admittere: tum etiam, quia non continet præceptum, sed datur per modum privilegii cui renunciare potuit illa religio, cui directè concessum est. Et adhuc certius existimo non cogi prelatos religionum illam facultatem absolvi de-
res, sed eo modo, quo expedire iudicaverit. Quod & per se est rationi consentaneum, quia Pontifex non intendit relaxare disciplinam religiosam, sed tantum

sufficienter providere necessitati religiosorum. Et ex ipsa concessione colligi potest, quatenus dicit, ita posse absolui, sicut possent à confessorio ordinari. Confessarii autem Ordinis non possunt absolvere à reservatis, nisi iuxta modum à Superiore præscriptum: ergo neque alij in prædicto casu.

IV. Propter hoc ergo censeo, magis esse attendendam regulam, vel consuetudinem religionis, aut ordinationem prælatorum, quam alia privilegia. In aliquibus ergo religionibus fortasse vel ex regula, vel ex consuetudine constat, talem licentiam absolutè, & simpliciter censi concessam eo ipso, quod prælatus non prohibet, nec limitat illam, & in talibus religionibus eo ipso quod quis peregrinatur, peccata desinent esse reservata, quia perinde absolui possent à quolibet confessore, ac ceteri. Quod difficile creditur est, quia non potest non esse in dispensatione religionis: si enim reservatio adhibetur ut sit tanquam frænulum ad non cadendum, quomodo auferenda omnino est quando religiosus extra monasterium vagatur, cum tunc maiori fræno & pluribus mediis indigeat? Ob hanc ergo causam religiones aliquæ licentiam illam concedunt peregrinantibus cum onere comparendi postea corâ suis prælatis: sic enim utrique necessitati subveniunt, quia nec subditus cogitur diu carere absolutione, nec ei aufertur frænulum reservationis, & alioqui modus ille dandi facultatem sub illo onere, sanctus est, & in Ecclesia vñtatur, ut in co. 4. disp. 30. sect. vlt. latè tractatum est, & ita servari dicitur in religione Carthusiæ, & S. Hier. & de Societate, ut infra tractat. 10. lib. 8. c. 5. dicitur.

V. Tandem, ubi nec per regulam satis declarata sit hæc facultas, vel modus eius, nec de consuetudine satis constiterit, quia fortasse solet peti facultas à Superiore, si contingat aliquem ex obliuione naturali discedere non petita facultate, credendum est, implicite esse concessam à Superiore in ipsa facultate peregrinandi, saluo rigore reservationis quoad fieri potest. Prior pars constat, tum quia, qui vñm concedit, virtute concedit aliud, quod moraliter necessarium est ad illud convenienter exercendum: tum etiam, quia vñuersalis consuetudo ita videtur interpretari voluntatem prælatorum. Altera verò pars probatur, quia illa licentia non datur nisi propter necessitatem: ergo est explicanda iuxta ea iura, quæ in similibus casibus facultatem concedunt: quotiescunque autem hæc facultas in iure datur ratione occurrentis necessitatis datur saluo onere reservationis, atque adeò sub obligatione comparendi: ergo hoc sensu interpretandum est, quoties Superior aliud expresse nõ declarat. Imò aliqui volunt in eo casu non dari vñllam facultatem, sed ob inopiam confessoris, qui à reservatis absoluat, posse religiosum absolui tunc directè ab aliis peccatis, reservata autem solum per accidens remitti, sicut oblita, & ideo manere integram obligationem illa confitendi Superiore. Quod quidem non repugnat, ut infra in simili videbimus, est tamè rigorosius, & quod dixi videtur verisimilius. Nam quod alij aiunt, in eo casu neutro modo posse absolui, sed posse ac debere celebrare, aut communicare cum sola contritione, mihi verisimile non est, ut statim in simili dicam.

VI. Secundò dicendum, religiosum non posse absolui à casibus reservatis ab aliquo religioso, seu confessore suæ religionis, nisi de licentia prælati, specialiter ad hoc concessa. Probatur, quia hæc est vis reservationis; supponimus autem peccatū esse reservatum ipsi prælato: ergo qui ab illo non habet iurisdictionem, non potest hanc absolutionem præstare: non datur autem talis iurisdicção per generalem facultatem audiendi confessiones religiosorum, ut ex regula iuris sæpè citata constat, ergo necessa-

ria est specialis facultas. Limitandum verò hoc est, nisi ex regula, vel ex vsu iam constaret, talem facultatem esse annexam tali muneri confessoris. Verùtamen in eo casu peccatum non esset reservatum iâ soli prælato, sed ipsi, vel confessori domus. Sicut respectu novitiorum, si eorum Magister habet ex officio talem facultatem, eorum peccata non tantum Superiore, sed etiam Magistro suo dicentur reservata, vel sub disinctione, quamvis in hoc semper excedat prælatus, quod possit sibi reservare, si velit. Et ideo possit esse questio de modo loquendi. Dicit fortasse aliquis, iam hoc esse debere ius ordinari religionum, quia Summus Pontifex Clem. VIII. ordinavit, ut Superiores in singulis domibus deputet duos, vel tres confessarios, quibus etiam casus reservati committantur. Respondetur: imò hinc colligi, huiusmodi confessarios non habere hanc iurisdictionem ex vi sui muneris, imò nec debere illis committi habitualiter (ut sic dicam) sed solum pro re nata, quando occasio id postulauerit.

Instantia
expediri.

VII.

Sed licet hoc verum sit communi iure, quæri potest, an ex communi aliquo privilegio religionum possint regulares absolui à quocunque sacerdote, vel confessore sui ordinis. Circa hoc nonnulla privilegia referuntur in Compendiis privilegiorum religionum, & in lib. Monumenta Ordinum, quæ in summa redegit Emanuel. Roder. q. 62. art. 6. ex quibus duos casus præcipue elicio. Vnus est in quo datur facultas religionis Minoribus, ut possint semel eligere de eadem observantia confessorem: qui de omnibus peccatis reservatis & censuris possit illos absolvere, imò & dispensare in irregularitatibus, excepto homicidio, & mutilatione voluntaria. Quod privilegium, cum generale sit, complectitur omnia peccata, etiam in ipsa religione reservata, cumque ex parte persone eligendæ nullam aliam conditionem requirat, nisi quod sit eiusdem ordinis, non videtur amplius restringenda, nec postulat specialis licentia prælati. Sed nihilominus probabile existimo, confessorem sic eligendum debere esse ex approbatis, vel expositis à prælato religionis ad audiendas confessiones suorum subditorum, tum quia non sine causa dixit Pontifex, Possit eligere confessorum de eadem observantia, & non dixit, possit eligere sacerdotem, aut presbyterum: tum maxime, quia privilegium debet, quoad fieri possit, secundum ius intelligi, quâdo ita potest suum effectum operari sufficienter, & magis ordinatè, quod ita contingit in præsentia: nam privilegium hoc operatur dando bene amplam iurisdictionem; tamen ex parte persone non excludit ordinarium ius religionum, quod requirit prælati approbatione ad illud munus exercendum. Vnde quatenus idem privilegium ibi extenditur etiam ad servientes, & famulos, oportebit ut confessor eligendus, sit approbatus ab Episcopo, iuxta Concilium Tridentinum. De novitiis autem, ad quos etiam fit extensio, non idem iudico, sed sufficienter illis confessorem approbatum à religione: nam quoad hoc non ut seculares, sed ut regulares computandi sunt. Denique hoc privilegium ut possunt omnes religiosi, qui in privilegiis cum Mendicantibus communicant, vñusquisque tamen servare debet modum in sua religione præscriptum, & à Pontificibus approbatum circa vñum talium privilegiorum. Idem sentiendum est de quibusdam aliis privilegiis, & quasi iubilæis cõcessis aliquibus religionibus pro aliquibus anni festiuitatibus, quæ refert dictus Emanuel tom. 1. q. 62. a. 10.

Nota pro
servantibus
in religione.
Item pro no-
viitiis.

Alius casus est, quo similis facultas cõceditur pro articulo mortis, quæ in quodâ privilegio Sixti IV. Alter casus cum his exaggerationibus conceditur, Quicunque in articulo confessor quemlibet religiosum Mendicantium, vel eorum qui mori gaudent illorum privilegia, ab omnibus casibus, nullo excepto, cum omnimoda auctoritate, ac si in illo actu esset Summus Pontifex,

M

Pontifex,

Pontifex, absolueret postea; & eadem auctoritate ei indulgentiam plenariam concedere. In quo primum notari potest particula, *quicumque confessor*. quam intelligo de confessore, qui hoc munere fungi poterat in illo articulo ante hoc privilegium; & ideo fortasse non dixit, *Quicumque presbyter, & vel sacerdos*. nam licet in casu necessitatis quilibet sacerdos possit esse confessor in articulo, & tunc consequenter possit uti hac facultate circa religiosos; tamen, seclusa necessitate, non quilibet sacerdos, sed solus proprius, vel delegatus eius, potest esse confessor, etiam in illo articulo: hoc autem privilegium non facit confessorem eum, qui non erat, sed auget facultatem legitimi confessoris. Et ob hanc causam existimo non posse religiosum virtute huius privilegii confiteri in articulo mortis cuiusque simplici sacerdoti, omisso legitimo confessore, si adit, & velit suum munus iuste exequi. Item, licet ex vi eorum verborum non fiat determinatio ad confessores eiusdem ordinis, nihilominus ex alio capite existimo, quando adest proprius confessor, non posse eligi presbyterum alterius ordinis, quia non est confessor respectu talis personae; praedicta autem verba videntur respectu, & proprie intelligi, quia ibi, ut dixi, non datur facultas ad eligendum quemcumque sacerdotem in confessorem, sed augetur potestas cuiuscumque legitimi confessoris talis personae. Et confirmatur haec expositio, quia ibi solum intenditur fauor articuli mortis quantum ad plenam remissionem, qui potest obtineri non immutando debitum ordinem, necius alterius auferendo: ergo ita explicandus est.

IX.
Secunda
observatio.

Secundo est notanda illa particula, *quemlibet religiosum*. nam ex vi illius constat non extendi ad familiares, vel seruientes. De nouitiis autem dubitari posset, quia religiosi non sunt, tamen in re adeo fauorabili potest nomen religiosi ad nouitium extendi: item quia in eodem privilegio sub his verbis, *Omnes Praedicatorum, & Minorum ordinum priores, & fratres*, nouitij manifeste continentur: nam inferius dicitur, consequantur indulgentiam etiam ante professionem moriantur: ergo eadem ratione possunt comprehendere sub nomine religiosorum. Erit autem hoc certius, si in religione sit generale aliquod privilegium concedens, ut nouitij frui possint huiusmodi gratiis, & fauoribus. Idemque dubium locum habet in donatis, qui tria vota substantialia non emittunt, & ideo proprie religiosi non sunt. Et quia neque ad illa vota emittenda, vel professionem faciendam tendunt, ideo adhuc minus proprie religiosi sunt, quam nouitij: & ideo securius est pro his personis uti aliis privilegiis continentibus similem gratiam pro articulo mortis, & expressè extensionem faciant ad huiusmodi personas, ut referatur in Compendio D. Hieronymi, §. 6. cum quibusdam limitationibus, & conditionibus, quae ibi explicantur.

X.
Tertia observatio, & quorundam placitum circa illam.

Praeterea aduertere oportet, in prioribus privilegiis simpliciter concedi hanc gratiam pro articulo mortis. Vnde inferunt aliqui, quod ex vi illorum si quis absoluitur in vero periculo, (quod sub articulo comprehenditur, ut tom. 10. disp. 26. sect. 4. & disp. 21. de hie. sect. 4. n. 23. diximus) & postea non moriatur, non potest iterum per illud privilegium absolui: quia talis facultas iam habuit suum effectum, & ita per primum usum expirauit, ut generaliter de similibus facultatibus tenet Nauarrus in Summa c. 26. n. 31. dicens esse iuxta mentem omnium, solumque id confirmat argumento l. bonae. ff. de verb. significat. ibi, *Hoc sermone dum nup. a erit, prima nup. praesignificatur*. Et confirmari potest: nam ob hanc causam quando Papa vult maius privilegium concedere, addit, *Quod si de illo reputato tunc mori in articulo, aut infirmitate, in qua totum quilibet confisus fuit, non disces-*

serit, semper indulgentia praedicta intelligatur referri ad verum articulum mortis. Quae verba adduntur in privilegio cœlestis ab Eugenio IV. & a Nicolao V. relatis in dicto compendio §. Hieron. §. 6. & 7. ergo signum est, ubi haec extensio non additur, finiri facultatem per primum usum. Et hanc sententiam videtur sequi Cordub. lib. 5. de Indulgentiis, q. 39. in fine.

Sed in his privilegiis oportet duo distinguere, scilicet, absolutionem a referuatis, de qua nunc praecipue agimus, & indulgentiam plenariam. Quamvis ergo attinet ad indulgentiam Nauarrus opinio frequentius recepta est, ut intelligi potest ex Syluestro, verb. *Indulgentia*. n. 25. & Antonino 3. p. tit. 10. c. 3. §. 4. & 5. Nihilominus probabilius censio semper referuari in verum articulum mortis ex coniectura mente Pontificis, nam reuera intentio eius est concedere hanc gratiam, ut quantum in se est habeat efficaciam perducendi hominem immediate ad gloriam, ita ut illi non sit necessaria purgatio post hanc vitam. Item, quia haec etiam est intentio postulantis hoc privilegium, quia tota mens eius fertur ad veram mortem: nam vera necessitas huius gratiae in illo vero articulo existit. Vnde ubi hoc expressè ponitur, fieri censio ad maiorem declarationem, & ad tollenda dubia, tamen considerata materia, etiam sine tali declaratione, videtur ex re ipsa satis constare de mente Pontificis.

Haec autem suspensio usque ad verum articulum, dupliciter potest intelligi: primo, ut indulgentia nunc concedi possit cum effectu, donec vera mors sequatur, & ideo illa non sequatur, referretur. Secundo, ut indulgentia statim operetur, & nihilominus si mors non sequatur, iterum atque iterum in simili articulo mortis concedi possit cum effectu, donec vera mors sequatur. Et licet prior modus sit probabilis, tamen posterior est magis pius, & veritati magis consentaneus. Primo, quia beneficii Principis amplè interpretandum est, quando ipse non limitat illud, hic autem non limitat, quia non dicit, *semel in articulo mortis*, tunc enim fortasse statim fieret effectus, propter rationem quam statim faciemus, & expiraret gratia propter illam restrictionem, & quae in praesenti non additur, sed est cœlestio indefinita pro articulo mortis ergo amplè intelligendum est hoc beneficium pro quouis articulo. Et confirmatur, quia in huiusmodi rebus indefinita aequivalere vniuersali. Secundo, quia Pontifex absolute dat confessoris facultatem concedendi illam indulgentiam in articulo mortis: ergo etiam confessor utens illa, absolute absoluit plenarie, & non sub aliqua conditione: ergo absolutio non manet suspensa, quasi expectans aduentum mortis nec debemus recurrere ad praesentiam Dei, quia hi effectus morales sunt iuxta virtutem, & intentionem agentis independentem ab extrinseca scientia: ergo in illa absolutio statim operatur: ergo referretur in verum articulum mortis noua absolutio. Tertiò potest ita explicari, quia per talem indulgentiam vult concedere Pontifex plenariam remissionem totius vitae usque ad articulum mortis: quia tamen de vero articulo mortis homini constare non potest, ideo cōsequenter ac necessario vult ut talis absolutio instanti periculo, & quando moraliter timetur mors, concedatur: & quia non vult absolutionem, quae debet esse actus legitimus, esse conditionatam, ideo statim habet effectum. Si autem postea mors non sequitur, effectus ille non est adeo quatenus vitæ usque ad veram mortem: ergo semper referretur vitæ usque ad verum articulum mortis a re-facultas absoluedi in vero articulo mortis. Atque indulgentia aliqua ad verum articulum mortis, ita sentit Gerson 2. p. tract. de absolutione sacramentali, §. *Quia si vltimus*. Alph. 33. lit. K. & quoad hanc partem idem sequitur Cordub. supra.

XIII.
Dico quod
ad absolvendi
non est refer-
vatio in articulo
mortis.

XI.
Dico quod
ad absolvendi
non est refer-
vatio in articulo
mortis.

XII.
Dico quod
ad absolvendi
non est refer-
vatio in articulo
mortis.

XIV.

XV.

XVI.
Dico quod
ad absolvendi
non est refer-
vatio in articulo
mortis.

XVII.
Dico quod
ad absolvendi
non est refer-
vatio in articulo
mortis.

XVIII.
Dico quod
ad absolvendi
non est refer-
vatio in articulo
mortis.

XIX.
Dico quod
ad absolvendi
non est refer-
vatio in articulo
mortis.

XX.
Dico quod
ad absolvendi
non est refer-
vatio in articulo
mortis.

XXI.
Dico quod
ad absolvendi
non est refer-
vatio in articulo
mortis.

Hinc verò colligo idem à fortiori dicendum esse de potestate absoluedi à peccatis reservatis pro articulo mortis simpliciter concessa: nam sine dubio per illam potest quis absolui in gravi, & morali pecculo mortis, quia non potest humano, & rationali modo aliter dari, vel plus differri absolutio. De qua multò certius est statim operari, quia sacramentalis absolutio suspendi non potest, nec conditione de futuro recipere. Si autem mors non sequatur, dari poterit similis absolutio in quocunque simili eventu vsque ad verum articulum mortis. Primò quidè ratione indulgentiæ plenariæ, quando illa coniungitur, vt in indultis, de quibus agimus: nã eo dè sensu conceditur potestas absoluedi à reservatis, quo indulgentia plenaria pro articulo mortis, vt ex eodè contextu patet. Imò illa potestas absoluedi ordinatur ad indulgentiam plenariam obtinendam, vt in iubilæis, & per Bullâ Cruciatæ fieri solet: ergo quandiu homo manet capax talis indulgentiæ, manet etiam capax absolutionis, quæ est dispositio ad illam: nam qui dat formam, dat consequentia ad formam. Secundò, etiam si indultum non haberet adiunctam indulgentiam plenariam, sed tantù daret potestatem absoluedi à reservatis in articulo mortis, non extingueretur illa potestas per primũ actum, sed semper maneret sufficiens ad absoluedum in vero articulo mortis, propter easdem rationes in priori puncto factas, quia reuera finis intentus à Pontifice per hanc facultatem, est efficax auxilium pro ipsa morte, & quia illa non sequuta, nondum habet illa facultas plenum vsum. Et reuera hoc potius opinatur Corduba, imò ex hoc exemplo confirmat illud de indulgentiis, *Sicut alia con- fimes* (inquit) *facte pro articulo mortis, vt ad absoluedum à peccatis, & censuris in articulo mortis, ad celebrandum domus, & communicandum in articulo mortis, intelliguntur toties, quoties talis articulus occurrit, vt patet (ait) ex prædicta consuetudine.* In fine autem illius §. solum dicit, licentiam absoluedi à reservatis expirare per primum actum, nisi aliud constet de mente concedentis. Nos autem dicimus, id satis constare de mente concedentis, & priorem actum non fuisse adæquatum tali facultati.

Sed quæret tandem aliquis, quæ sit utilitas huius indulti de reservatis pro articulo mortis, seclusa plenaria indulgentia: quia in mortis articulo nulla est peccatorum reservatio, vt Concilium Tridentinum sess. 14. dicit: ergo illa facultas nec necessaria tunc est, nec utilis. Respondetur, duo per hanc facultatem concedi. Vnum est, vt confessor ordinarius, qui alias non posset in illo articulo à reservatis absolueret, cum adsit prælatus, qui absolvere possit, valeat absolutionem à peccatis reservatis impendere. Quamvis enim in articulo mortis si necessitas urgeat, nulla sit reservatio culparum, nihilominus non excluditur ab illo articulo debitus ordo, vt nimirum ab illo petatur absolutio, qui per se habet iurisdictionem, quia solus mortis articulus nõ dat alii iurisdictionem, sed solum in defectu habentis illã, ideoque quando adest superior, ad quem per se spectat reservatorum absolutio, nõ potest inferior sacerdos, vel ordinarius confessor absolvere à reservatis per solum commune ius. Addito autem hoc privilegio potest quilibet confessor absolvere, prætermisso prælato, & absque alia facultate eius, quia Pontifex dat illi iurisdictionem.

Secunda utilitas huius privilegij est, quia ex vi illius absoluitur religiosus simpliciter, & sine vilo onere comparendi. Nam licet omnia peccata in articulo mortis à quolibet sacerdote absolui possint, tamen interdum si habeant censuram reservatam annexam, ratione illius relinquatur onus comparendi, quando absolutio datur ab eo, à quo alias dari non posset, vt alibi tractatum est. Quando autè ab

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

solutio datur ex vi huius privilegij, nullum relinquatur onus comparendi, sed tantum satisfaciendi. Non omittam autem advertere, in quodam privilegio relato à citatis auctoribus, & in dicto Compendio S. Hieronymi haberi hæc verba, *Cum aliquis fratrum incurrit in dementiam, letargiam, vel amiserit expressionem loquæ antequam absoluat, vel quia non fuit copia confessoris, in tali casu, vel simili, absolvere eum possit in articulo mortis, & remissionem plenariam auctoritate apostolica impendere quilibet presbyter secularis, aut regularis.* Oportet enim hæc verba sapienter intelligere: nã si in illis sit sermo de absolutione sacramentali, necessarium est vt aliqua confessio fieri potuerit, saltem per generalia signa confessionis in ordine ad absolutionem postulatam. Si autem confessio nullo modo præcedere potuit, non est danda absolutio sacramentalis, nec privilegium potuit talè facultatem concedere; absolutio verò, seu remissio illius privilegij, quia hæc non est sacramentalis, nec requirit necessariò præcedentem confessionem, sed solum gratiæ dispositionem, quæ præsumitur quãdiu oppositum non constat.

Tertiò dicendum est, prælatum religionis iure suo posse subditos absolvere à peccatis in religione reservatis, vel alteri eam iurisdictionem cõmittere. Hæc assertio quoad priorem partem est per se nota, quia cum peccatum reservatur Superiori, apud illum manet iurdictio ad absoluedum à peccatis huiusmodi. Est autem hoc respectuè intelligendum de Superiore non tantum reservante, sed etiam cui sit reservatio: quamvis enim Generalis, vel Prouincialis solus, vel cum Capitulo sibi proportionato, iuxta morem religionis, reservet peccatum, non tamen semper sibi reservat, sed Conuentali prælato: de illo ergo dicimus posse iure suo absolvere, & à fortiori omnem Superiorem prælatum. Sed quid si peccatum reservetur soli Generali, vel Prouinciali? Respondeo, tunc non posse Conuentalem prælatum iure suo absolvere, sicut non potest Parochus absolvere iure suo à peccatis reservatis Episcopo. Ad prouidentiam autem Prouincialis, vel Generalis pertinet providere modum quo possint subditi absolui à talibus peccatis in absentia sua, quia cum hæc sit frequens, & diuturna, & confessio cum absolutione non possit fieri per literas, iniustum esset cogere subditos tanto tempore confessione priuari, vel cogere illos, vt vel diminutò confiteantur, tacèdo peccata reservata, quia ab eis absolui non possint, vel, licet integrè confiteantur, vt ab eis absolui non possint, nisi per accidens sicut à peccatis oblitis. Imò licet peccatum habeat annexam excommunicationem reservatam Prouinciali, cuius absolutio per literas potest impetrari, qua impetrata, tollitur reservatio culpa; nihilominus molestissimum esset subditis grauamen expectandi absolutionem censuræ per literas à Prouinciali, tum propter moram, tum propter periculum reservationis; & ideo semper esse debet præsens qui possit absolvere, vel simpliciter, vel saltem sub onere comparendi tempore commodo.

Alter pars etiam est certa, quia in prælato iurdictio circa hæc peccata, est ordinaria, conuenit enim illi ex vi sui muneris: ergo potest illam delegare. Dices, quando reservatio fit à Capitulo vel prælato superiore, tunc inferior prælatus solum ex cõmissione superioris reservantis habet iurisdictionem circa talia peccata: ergo est iurdictio delegata: ergo non potest illam alteri committere. Respondetur negando antecedens, si de noua, aut speciali cõmissione intelligatur: nam reservare peccatum Conuentali prælato, non est nouam iurisdictionem illi committere, sed est non auferre, quæ conuenit illi ratione muneris, quòd si hæc vocetur commissio,

XVI.

XVII.

nō est delegatio, sed traditio ordinaria iurisdictionis. Occurrit autem hic mihi peculiare dubium, si peccatum sit reservatum Prouinciali, vel Generali, & ipse designet aliquem, qui in absentia sua absoluat, an ille possit vices suas alteri committere. Respondedo tamen, non posse, quia reuera ille tantum est delegatus. Vnde idem dicam in illo casu de ipso met prelato locali, etiam illa facta sit commissio à Prouinciali, vel Generali: quia tunc etiam est pure delegatus, quia illa commissio nō est ex proprio munere, neque à iure, sed ab homine, vt si Episcopus committat Parocho peccata sibi reservata, non potest illam iurisdictionem alteri subdelegare.

XVIII.

Dices, ergo cogitur subditus tunc confiteri prelato proximo, vel vni confessori, cui facta est commissio, nec potest ab eis obtinere facultatem confitendi alteri, quod esset valde molestum, & sepe etiam nocuum. Ponamus deinde, Prouincialem lapsus esse in peccatum, quod respectu illius est reservatum Generali; cogetur ergo illud confiteri soli confessori sibi designato à Generali, nec poterit obtinere facultatem confitendi alij, nisi ad Generalem recurrendo, & ita esset ipse peioris conditionis, quàm ceteri. Respondeo ad priorem difficultatem, illud non esse inconueniens in rigore loquendo, quia satis est quod Prouincialis vni committat vices suas, qui ad illud opus quasi permanenter expositus sit, & sit quasi poenitentiarius eius: quod si aliquis subditus illo contentus nō fuerit, recurrere poterit ad Prouincialem, medio alio sacerdote, nomine poenitentis tacito, petente facultatem: quod si passus fuerit moram, sibi imputet, cum ad poenitentiariū expositum nolit recurrere. Suauius tamen faciet Prouincialis, committendo talem facultatem cum potestate subdelegata, vel duobus, aut tribus illam committendo, si commodè fieri potest.

XIX.

Atque idem ferè dici potest ad alteram partem, quamuis in eo casu sit specialis difficultas, eo quod recursus ad Generalem & difficilior est, & tardior; & præterea, quia Prouincialis vix, aut nullo modo potest petere nouam facultatem, tacito suo nomine. Et ideo in designando confessore Prouinciali cū tali facultate, videtur magis necessarium, vt habeat illam cum potestate delegandi; vel certè vt illam habeat tanquam ordinarius minister respectu talis personæ. Vtunque tamen id fiat, non potest vitare Prouincialis quin ab eo petat facultatem confitendi alteri, & siue illam perse, siue per alium petat, excusari non potest quin confessori innotescat persona, pro qua facultas postulatur; quia non habet alium poenitentem pro quo possit postulare. Sed hoc non est inconueniens, est enim tanquam onus illius muneris quod tolerandum est, nam & est necessarium ad debitum ordinem, quia etiam prelatus cum sit homo, indiget freno reservationis, & non potest alio conuenienti modo illi provideri de ministro, qui cum possit absolvere, eo quod Superiorem distantem habeat. Et aliunde, sicut ratione muneris, & donorum, quæ ad illud supponuntur, tenetur liberior esse huiusmodi culpis, mirum non est, si in illas inciderit quoddam maius etiam sentiat onus, & grauamen.

XX.

Occurrit tamen statim quæstio, an Superior non solum possit, sed etiam teneatur delegare hanc facultatem quando subditus id postulet. Sed hanc quæstionem tractavi sufficienter in 4. to. disp. 30. sect. 4. & in 5. explicavi modum cōcedendi illam; quæ hoc loco repetere necesse non est. Sed propter quosdam, qui nimiam licentiam in hoc negotio subditis cōcedunt, addendum hic occurrit vulgare dubium, si prelatus neget hanc licentiam subdito petenti illam perse, vel per alium, an eo ipso possit subditus alteri confiteri, & ab illo absolui à peccatis reservatis. Non enim defuerunt, qui id affirmarent: quia tunc

subditus vim patitur à prelato: ergo eo ipso habet ius confitendi alteri. Antecedens patet, quia prelatus grauiter peccat, negando huiusmodi facultatem, contra suum munus, & contra præceptum Pij V. in quodam motu proprio anni 1571. Prædicatoribus concessio, in quo declarat, eos non posse per Bullam Cruciatæ eligere confessorem sine licentia prelatorum. Et subdit, *Eisdem tamen prelati in usu huiusmodi potestatis, seu cum subditis benignos, & faciles se exhibeant, præcipimus.* Consequentia autem probatur, quia eo ipso quod inferior prelatus iniuste negat dictam facultatem, præsumitur superior prelatus, vel ipse Papa concedere illam, ne subditus perplexus, & sine remedio maneat.

Sed nihilominus sententiā hanc falsam esse existimo, quia nullo iure fundatur, nec auctores antiqui illam docent, nec talis consuetudo est inter rimoratos viros, nec denique ratio vlla illi suffragatur. Nam in hoc Sacramento non sufficit rati habitio de futuro, nec voluntas præsumpta, si non sit de aliqua voluntate, quam reuera habeat, vel habuerit prelatus, & præsumptio fundetur in aliquibus sufficientibus signis talis voluntatis; in presenti autem nulla sunt talia signa, neque vlla verisimilitudo, quod Superior habeat, vel habuerit talem voluntatem. Imò, si prudenter res consideretur, existimo nec rati habitio nem de futuro hic interuenire, quia potius prelati superiores præsumendi sunt grauate ferre huiusmodi subditorum libertatem, quia licet alicui fortasse interdū posset esse vitis, lapsus esset in ruinam, & in dispendium religionis. Denique illa sententiā intellecta de absolutione directa a reservatis parum consentanea est doctrinæ Concilij Tridentini sess. 14. c. 7. quomodo autem pollicitiano modo explicari, statim dicam. Videantur quæ generatim de hac facultate petita, & non obtenta dixi in 4. tom. disp. 17. sect. 4.

Sed quæret aliquis, quid faciat poenitens, cui hæc facultas negatur, & necessitatem habet celebrandi, vel communicandi, ita vt si omittat, scandalum, vel infamia sequatur. Quidam dicunt, habita contritione, vel probabili existimatione eius, posse communicare non præmissa confessione, tanquam is, qui non habet copiam confessoris. Sed circa hoc est in primis aduertendum, non quodcumque peccatum prelati in deneganda facultate sufficere vt statim concedamus subdito hanc, vel similem licentiam. Potest enim hoc peccatum consistere, vel solum in nimio rigore, & in male confitendi, vel concipiendi auersionem, & quasi odium confessionis; vel potest esse peccatum in hoc quod Superior intendit abteri notitia confessionis, ita vt subditus inde probabiliter timeat aliquod graue damnum, vel fractionem sigilli. Quando peccatum est tantum primi generis, illud non est satis vt subditus deobligetur ab obligatione diuinorum præceptorum, quando vincendo difficultatem, & sustinendo rigorem nimium Superioris, nullum probabile incommodum, neque iniuriam sacramenti timeret, licet Superiori confiteatur, sed solum ruborem, verecundiam, & similes difficultates, quæ moraliter loquendo, non sufficient ad excusandum à diuino præcepto. Si ergo in eo casu communicare vult, confiteatur integre cui potest, quia habet diuinam obligationem, & nulla sufficientem excusationem.

Quando autem peccatum est posterioris rationis, habet sine dubio subditus sufficientem excusationem, vt constat ex materia de Poenit. Potest ergo tunc communicare, licet Superiori non confiteatur. Ad do verò, etiam posse confiteri alteri ordinario confessori, & ab eo posse absolui, quamuis absolutio solum cadat directè in peccata non reservata, & alia tollantur solum indirectè, sicut oblita. Imò verò nō solum

ſolùm exiſtimo hoc poſſe fieri, ſed etiam eſſe cōuenientius, & omnino faciendum, ſi quis habeat cōſcientiam alterius peccati mortalis non reſeruati: quia ille eſt diſpoſitus ad cōfeſſionem, & ad effectum abſolutionis, quantum eſt ex ſe, vt ſupponimus, & alioqui cōfiteſtur quantum poteſt, & quomodo poteſt, & quod licet id facit, cū ſit in neceſſitate cōmunicandi; quæ eſt ſufficiens, vt debeat ſic cōfiteri, tum vt impleat præceptum diuinum, tum vt fiat ex attrito contritus, ſi fortaſſe non peruenit ad veram contritionem. Cōfeſſor autem poteſt, & debet tunc abſolutionem præſtare, ſi ſibi cōſitet, penitentem habere iuſtam excuſationem non cōſtitendi Superiōri: quia penitēs eſt diſpoſitus, & integre cōfiteſtur quantum poteſt, & eſt in ſufficienti neceſſitate abſolutionis. Neque eſt quod cōfeſſor de iuriſdictione dubitet, quia tunc non vtitur iuriſdictione præſumpta. (In quo differt hæc ſententia à præcedenti) ſed vtitur iuriſdictione certa, quā habere debet circa alia peccata cōfeſſa, quæ ſufficiunt ad cōſciendum ſacramentum, quo indirec̃tē tollantur peccata reſeruata, etiam ſi in illa nulla ſit iuriſdictio. Per hoc autem remediū ſubuenitur neceſſitati penitentis, & ſeruatur reuerentia debita ſacramento Eucharistiæ, & non minuitur rigor reſeruationis, nam ſemper manet eadē obligatio cōſtitendi direc̃tē illa peccata Superiōri, vel ei, qui ab illo iuriſdictionem habuerit: in quo maxime differt hic modus dicendi à præcedenti in n. 20. nam iuxta illum, conſequuta ſemel abſolutione, non oportet illa peccata iterum cōfiteri Superiōri: quia remiſſa fuiſſe dicuntur per iuriſdictionem ipſo iure, vel tacite datam à maiori prælato, imò etiam ſi vt penitens maneat liber ab omni onere comparēdi, quia ſicut præſumitur iuriſdictio data, ita præſumetur abſolutio, & ſimpliciter data: maxime vbi peccatum non habet annexam cenſuram reſeruata, quod ſine dubio maximum inconueniens eſt. Et ideo illa iuriſdictio præſumpta, vt dixi, nullo modo eſt admittenda; abſolutio autem direc̃ta iuxta meſuram propriæ iuriſdictionis cum remiſſione indirectæ eorum peccatorum, in multis caſibus neceſſariò admittenda eſt, vt ex propria materia conſtat: vnus ergo illorum eſt hic, de quo agimus, & alium ſimilem in ſequenti c. videmus.

C A P V T XX.

An prælati regulares poſſint abſoluere ſuos ſubditos à cenſuris.

HAſenus de peccatorum abſolutione dictū eſt, iam de abſolutione cenſurarum agendum, quæ poſſunt etiam diſtingui in cenſuras ipſiusmet religionis, & ab extrinſeco prouenientes: item in cenſuras à iure, vel ab homine item in reſeruatas, & nō reſeruatas. Deinde poteſtas abſoluendi ab illis, eſſe poteſt vel ex iure communi, vel ex iure, & priuilegiis regularibus. Primò ergo dicendum eſt, prælatū religionis iure cōmuni poſſe abſoluere ab omnibus cenſuris non reſeruatis, & ipſo iure latis, ſiue ſit ius commune, ſiue proprium religionis. Probat ex c. nuper, de ſent. excom. vbi quilibet proprius ſacerdos dicitur habere hanc poteſtatem: quia vbi conditor iuris abſolutionem non reſeruauit, conceſſiſſe videtur, vt ibidem dicitur. Quæ regula in omni iure, tã communi, quàm regulari, eadem ratione locū habet: prælatus autem religionis eſt proprius ſacerdos ſuorum ſubditorum, vt per ſe conſtat: ergo. Ex quo infero, etiam ordinarium cōfeſſorem conuentus, vel quemcunque alium approbatum ab ipſo prælato ad audiendas cōfeſſiones ſubditorum cum iuriſdictione abſoluendi à mortalibus nō reſeruatis, poſſe etiam abſoluere à quibuſcunque cenſuris nō

Franc. Suar. de ſtatu relig. Tom. IV.

reſeruatis per talia peccata contractis: nam iuxta probabiliorem ſententiam, quam in tom. 5. approbauimus, deciſio c. nuper. extenditur ad quemlibet ſacerdotem habentem iuriſdictionem ad abſoluendum à peccatis mortalibus, ratione quorum cenſetur conſequenter conceſſa poteſtas abſoluendi ab huiusmodi cenſuris: nam, qui delegat poteſtatē ad aliquid cenſetur concedere poteſtatem ad omnia neceſſaria ad talem finem, vt eſt vulgatum in iure. Et confirmatur, quia aliqua eſt conſtituenda differentia inter excommunicationem reſeruata vel non reſeruata prælato: nulla autem eſſet, ſi cōfeſſor ordinarius non poſſet abſoluere ab excommunicatione non reſeruata. Hic autem oriebatur dubium de cenſuris iuris communis peculiariter cōmiſſis Episcopis, de quo infra dicemus.

Secundò dicendum eſt, prælatum religionis iure ordinario poſſe abſoluere ſubditum ab omni cenſura lata ab homine, tam per ſententiam generalē, quàm per particularē, niſi ſit lata à Superiōre prælato ſuo. Probatuſ aſſertio, quia cēſura ab homine, ab eodem tolli poteſt, à quo fuit poſita, vel ab eius Superiōre; ſed religioſus non poteſt ab alio homine excommunicari niſi à prælato ſuo: ergo ab eodem poteſt, & debet abſolui. Habet ergo prælatus iure ordinario hanc poteſtatem, quæ, ſi cōſideretur in prælato Superiōre, extenderetur ad omnes cenſuras latis ab inferioribus prælatis ſibi ſubiectis. Atque hinc facile probatur exceptio: nam inferior nō poteſt Superiōris ſententiam reuocare.

Poteſt autem quæri, an illa exceptio intelligenda ſit tã de ſententia generali, quàm de particulari: Breuiter tamen reſpondeo, quod licet in rigore iuris vtrique adhibenda videatur, nihilominus ex uſu, & pia interpretatione generalis ſententia in hoc æquiparatur iuri, ita vt, ſi cenſuram ſic latā prælatus ſibi expreſſe non reſeruauit, eo ipſo illam ordinariis prælatis, vel cōfeſſariis reſeruare cenſetur iuxta regulam dicti c. nuper. Solū ergo in ſententiis ſpecialibus illam limitationem intelligit. Ex dictis autem conſtat, nomine prælati in præſenti comprehendī Summum Pontificem, qui generalis, & ſpeciali titulo eſt ſupremus prælatus religioſorum, & ideo ipſe poteſt abſoluere quoscuque religioſos à quibuſcunque cenſuris, latis à quibuſcunque aliis prælatis: alij verò non poſſunt abſoluere à latis ab ipſo, niſi quatenus ab eo conceditur, vel expreſſe, vel per generalem regulam c. nuper.

Peculiarem verò difficultatē habet quid dicendum ſit de excommunicatione religioſi lata ab Episcopis in caſibus in quib. eam in religioſos ferre poſſunt, etiam ſi exempti ſint: nam de ſibi ſubiectis nulla eſt quaſtio, quia cū ipſe ſit Ordinarius prælatus talium religioſorum, regula poſita, in eo locū habet. Poteſt autem interdum Episcopus aliquid præcipere religioſis ſub pœna excommunicationis, vt quod ad proceſſionem vocari accedant, iuxta Concilium Trident. ſeſſ. 25. c. 13. de Regular. & in aliis caſibus illis commiſſis in eadem ſeſſione, variis decretis de Regularibus, & ſeſſ. 5. c. 1. de Reformat. & aliis locis ſimilibus. Tunc ergo, cū certum ſit, ipſummet Episcopum poſſe abſoluere, & à fortiori Pontificem, de prælatis religionis dubium eſt, nam cū non ſint ſubditi Episcopis, non videntur comprehendī ſub exceptione poſita, poterūt ergo abſoluere ſubditos ab his cenſuris. Reſpondeo nihilominus non poſſe: quia in eo actu reuera ſunt Episcopi Superiores prælati reſpectu prælatorum religionis: nā vel Episcopi in eo actu procedunt vt delegati Sedis Apoſtolice, vt ſep̃ in dicto Concilio dicitur, & tunc conſtat nō ſolū eſſe Superiores, ſed quodammodo ſupremos, quia vtuntur iuriſdictione Pontificia ſibi delegata. Vel ſe gerunt vt propria iuriſdictione vtentes, ablata exemptione, quantum ad talem caſum,

M 3

& ſic

IV.
An de cen-
ſuris ab Epif-
copis latis
procedat, af-
ſertio.